

COSMOLOGIA

INTRODUCTIO

1. Cosmologia idem valet, ac *sermo de mundo*; e quem enim, ut Plinius ait, Graeci Κοσμος nomine *ornamenti* appellavere, eum et nos a perfecta, absolutaque elegantia *mundum* dicimus ¹. Iam *mundi* nomine designatur *universitas rerum creatarum, quae coelo, terraque continentur*. Ex quo intelligitur, si nomen Cosmologiae, qua late patet, sumatur, scientiam hominis illius ambitu contineri, quia homo inter res, quae coelo, terraque continentur, invenitur. At vero scientia de homine a Cosmologia segregari solet, atque speciali nomine *Anthropologiae* appellatur. Neque Cosmologia cum scientiis physicis est confundenda, sed potius ipsa est velut illarum vestibulum, sive, ut aiunt, *propedeutica*, quia principia scientiarum physicarum communia, earumque studio inservientia exponit. Quocirca ipsa defini potest: *Scientia, quae suprema principia, supremasque rationes mundi sensilis exponit*.

2. In ea autem tractanda hunc ordinem persequemur, ut primo diversa genera rerum mundum constituentia, excepto homine, qui est anthropologiae obiectum, explicemus; deinde nexum, quo ipsa inter sese continentur, mundique systema efficiunt, exponamus; denique de mundi origine, et perfectione disseramus.

3. Ad primam partem quod spectat, distinguenda sunt corpora viventia a non viventibus. *Viventia*, uti iam alibi diximus ², sunt quae sese ab aliquo principio intrinseco ad motum, sive operationem determinant; et *non viventia* illa, quae ab aliquo principio extrinseco ad motum determinantur. Illa dicuntur etiam animata, quia principium vitale, nempe illud, ex quo corpora inter ventia numerantur, *anima* vocatur; ista autem *inanimata*. Insuper illa dicuntur etiam *organica*, ista *inorganica*, quia illa organici, seu instrumentis pollent, quorum subsidio

¹ *Hist. nat.*, lib. II, c. 4. — ² *Dynamil.*, c. I, art. 1, p. 95, vol. I.

operationes vitales naturae suae consentaneas eliciunt, haec autem nullis organici instruuntur.

4. Hoc discrimen ex multiplici causa ostenditur ¹, sed praecipue 1° *ex origine*, et *perpetualitate*. Nam corporum viventium alia ab aliis sibi similibus procreantur, et successiva sui generis propagatione perpetuantur; non viventia autem, quia omni semine carent, ideo sui simile corpus gignere non valent; quare nec per generationem originem habent, nec per successionem generationum perpetuantur, sed ex fortuito causarum diversi generis concursu efficiuntur, assiduasque vices subeunt. 2° *Ab explicatione*, et *modo se conservandi*. Nam viventia ex vi sibi insita gradatim succrescunt, donec perfectionem sui propriam assequantur, iacturas suas per assimilationem elementorum, quae in substantiam suam convertunt, resarciunt, vitamque tandem naturali cursu amittunt; at non viventia ex se statum suum mutare non possunt, atque non nisi accessu novae materiae augentur, aut recessu materiae, quam habent, minuuntur, et non nisi actione causae exterioris corrumpuntur.

5. Quae cum ita se habeant, nos de diversis rerum generibus, quae mundum constituunt, ita agemus, ut primum de natura, et proprietatibus corporum non viventium in universum, deinde de natura, et proprietatibus singulorum generum viventium disseramus.

CAPVT PRIMVM

Quaenam sint principia constitutiva corporis, investigatur

6. Prima principia intrinseca, quae cuiuscumque corporis substantiam efficiunt, vulgo *elementa* corporum vocantur ². Ea autem principia, ut Aristoteles ait ³, « oportet nec ex se invicem esse, nec ex aliis, et ex ipsis esse omnia ». Et sane, si non omnia *ex ipsis* constituerentur, non forent prima omnium princi-

¹ Adnotandum hoc est contra Tissotum (*Anthropologie spéculative*, c. 4, et 5, t. I, p. 385 sqq, Dijon 1843), aliosque, qui cunctis corporibus aliquam vitam inesse autumarunt.

² Diximus vulgo, quia principia ab elementis, ut postea dicemus, distinguenda sunt.

³ *Nat. ausc.*, lib. I, c. 3; cf Plat. *Parmenid.* et *Phaedr.*